



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

III. Docum. Religiosus virtutis & perfectionis amans esse debet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

Et alij multi, non modò Religioſis, ſed omnibus quoque alijs Chriſti fidelibus accommodati. vti ſunt *Meditationes & confeſſiones B. Auguſtini Opus Meditat. R. P. Ludouici de Ponte è Soc. Jeſu. Innocent. III. de contemptu mundi. Opera Ludouici Granatenſis, & alij quorum mentio fiet in ſequenti tractatulo de oratione mentis. cap. 12.*

DOCUMENT. III.

Religioſum virtutis & perfectionis amator em eſſe debere.

TERTIVM ſic: Religioſum virtutes & perfectionē diligere, illiusque acquirendæ ingenti cupiditate flagrare debere. Quod vt fiat, duo illi pot iſſimum faciendæ ſunt. Primū eſt: omni tempore in perfectione religioſa proficere, atq; in charitate, humilitate, patientia, cæterisq; virtutibus crefcere contendet: quemadmodum bonus ſtudioſus quotidie in doctrina progreſſum aliquem facere ſatagit. Nam Religioſo dictum fuit:

SI VIS

Si vis perfectus esse &c. ex quo sequitur illum ex professione & vocatione sua obligatum esse, tendere totis viribus ad perfectionem, licet non apprehendere. Hinc est, quod S. Thomas & S. Bernardus religionem appellant *scholam virtutum*. Et idem S. Bernardus dicit: *In via Domini non proficere, est deficere*. Qui in alio quoque loco affirmat, veram virtutem nescire finem, nec esse limitibus vllis circumscriptam, & hominem iustum nunquam dicere sufficit, sed semper iustiores ac virtuosiores esse desiderare. Religiosus ergo imitari studebit S. Paulum Apostolum, qui, ut de semetipso testatur, *eorum quae retro sunt obliuiscens, ad ea quae sunt priora se extendebat*: id est magno quodam animi desiderio, indies se ipso melior esse satagebat, & praeclariora quaedam ad Dei honorem atque seruitium moliri: ita quoque Religiosus perfectionem toto animo desiderare, & pro illius acquisitione desudare debet: nam perfectio sine desiderio ac diligentia haudquaquam acqui-

Matt. 19

2. 22. qu.

186. art.

2. Hom.

de margarita.

Serm. 2.

de Purificat.

Epist. 253

Philip. 3.

ritur. Debet quoq; Religiosus laborare, vt in propria vocatione sua perfectus fiat, vt si Franciscanus sit, perfectus Franciscanus: si Cartusianus, perfectus Cartusianus esse sataget: idem esto iudiciũ de alijs. Ad hæc autem assequenda, duo ista non parum momenti adferent.

1. Considerare diligenter beneficium vocationis.

2. Vitam fundatoris identidem legere ac relegere, illiusque vitam ac mores quo ad fieri potest, exprimere. Ea enim est Dei voluntas, qui propterea alium ad hanc, alium ad aliã religionem vocat.

Alterum est, vt nouerit methodũ virtutes acquirendi: id enim ex eo consequitur, quia huic virtutum studio incumbere, & ad earum consecutionem omne suum studium conferre tenetur: quod nunquam facere quibit, si methodum quã eadem virtutes acquiruntur, ignoret. Methodus hæc sub finẽ huius tractatuli adiungetur.

DO.